

TARTARIA

siue

MAGNI CHAMI IMPERIVM.

QVI Tartaros describere velit, multas nationes describat necesse est, & easdem longè ab inuicem distantes. Nam Tartaria hodie ferè vocatur, quicquid terrarum ab Orientali Oceano, siue Mangico, positum est inter Septentrionalem Oceanum & Meridionales regiones Sinam, Indiæ partem extra Gangem, Sacos, Oxum (nunc Abiamu) fluuium, mare Caspium & Meotidis paludem; & ad Moscos penè Occidentem versus: quia hæc omnia ferè occupauerunt Tartari, & in iisdem locis residerunt. Ita vt antiquorum scriptorum Sarmatiam Asiaticam, vtramque Scythiam, Sericamque regionem (quæ fortasse hodie Cataio est) comprehendat. Horum nomen Anno salutis M. CC. XII. primùm in Europa auditum est. In *bordas* diuiduntur, quæ vox illis significat, conuentus, aut multitudo. Sed vt varias longè lateque distantes Prouincias inhabitant, ita neque in moribus aut vitæ genere omnes conueniunt. Homines statura quadrata, lata facie & obesa, oculis contortis & concavis, sola barba horridi, cetera rasi, corpore valido, animo audaci; equis, aliisque animalibus quoquo modo interemptis suauiter vescuntur, demptis porcis à quibus abstinent: inedia somnique patientissimi: equitantibus porro si fames sitisque illos molestauerit, equis quibus infident venas solent incidere, haustoque eorum sanguine famem pellunt. Et quoniam incertis vagantur sedibus, stellarum imprimis verò Poli Arctici, quem ipsi sua lingua *Selesnikol*, hoc est, ferreum clauum (teste Sigismundo ab Herberstein, vocant) aspectu, cursum suum dirigere solent. Vno in loco non diu commorantur, rati grauem esse infelicitatem diu in eodem loco hærerè. Iustitia apud illos nulla. Homines sunt rapacissimi, nempe pauperrimi; vt qui alienis semper inhiant. Auri & argenti apud eos nullus vsus. Tartaros, eorumque mores & ritus accuratissimè descriptos habes apud Sigismundum ab Herberstein. Vide & Antonij Bonfinij commentaria Hungarica; M. Paulum Venetum, quem diu inter illos vixisse constat. De eorum origine lege Mathiam à Michou; Haythonum Armenum; Cælium Curionem in historia Sarracenicâ; & literas Iacobi Nauarchi Iesuitæ.

De Tartaris habes etiam quædam non negligenda apud Nicephorum,
libro. 18. cap. 30.



EVROPAE
PARS.

SEPTENTRIO.

TAR
TARIAE
SIVE MAG
NI CHAMI
REGNI
typus

DVCIS MOSCO
VIAE CON
FINI.

TARTARIA, que Sar
matiam Asiaticam, & vtramque Scythiam
veterum comprehendit.

OCEANVS SCYTHICVS
dulcis est Plinio auctore, qui multas in eo
insulas esse dicit, ut etiam M. Paul. Vene
tus: sed neuter neq. situm neq. numeru tradit.

AMERICA
VEL NOVI OR
BIS PARS

REGNI
PERSIE
CONFINI
NIL.

Continet hec ta
bula oem Tartariam, cum
reliqua Asiæ Orientalis vsq. Oce
ani: Eoem parte, Magno Cham obei
ente: Cuius imperium Olij fl: Kataka la
cu: Volga fl: Marii Caspi, Chofel flu:
Sionte monte, Thabet regione, Ca
romoriam fluuio, & Oceano
terminatur.

Japan insula, à M. Paulo
Veneto Zanganri dicta,
olim Chryse, a Magno
Cham olim bello petita
sed frustra.

La safana
Volcani del fuego
Lamenti

Cum Priuilegio.

